Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 333
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 41. ſuccedit Tractatus de Cognitione, ut videtur, Sui ipſius abruptus cum *quinta* Columna. Ejus initium eſt: *Loquar ad dominum meum cum ſim puluis et cinis. Omnium humanorum meritorum principia ſunt intellectus et actio theoria et praxis.* &c. Puerilibus repetitionibus verborum et gradationibus indulget autor. Praeterea mendis ſcatet Textus. Ita *arbores fructificant auricdalas et ductiles*, lege, *amygdala et dactylos.*

III. *fol.* 43. *In dei nomine ſummi opificis. Incipit prefacio libri proſperi de contemplatiua uita*, et ad calcem: *Expliciunt libri proſperi.* Retuli hoſce Libros III. *Vol.* I. P. 1. *col.* 999. et bis hoc etiam *Vol.* vero Autori ſuo *Juliano Pomerio Afro* reſtitutos; atque in praeſenti Codice prorſus ita ſe habent, ut ibi, niſi quod Lectio magis variat, ut e Collatione cum edit. *Pariſ.* 1711. f. in qua *Proſperi* Operibus accedunt, liquet. Dabo ſpecimen vel e ſolo Prologo.

Codex.	Editio.
Diu multumque reniſus — non uelut pertinaciter durus extiti ſed propriae impoſſibilitatis admonitus diſtuli.	*Diu multumque reniſus ſum — non velut pertinaciter durus, ſed propriae impoſſibilitatis admonitus*
Sine ulla deliberatione ſuſciperemus	*Sine ulla deliberatione ſuſciperem*
Dicendum foret perpendere	*Dicendum foret expendere*
Quod juberetis accederem	*Quod juberetis accedere*
Et ignorantia ſua conſequenter	*Et ignorantiae ſuae conſequenter*
Viderat quaerat	*Viderit quaerat*
Innubilanda cognoſceret	*Illuminanda cognoſceret*
Nihil dicat — praecipitabit.	*Nihil dicit — praecipitat.*

IV. *fol.* 91. *Joachim ad fratrem Ranerium* (de Pontio) *depoſicio ſuper prophetas.* Puta ſolum *Iſaiam.* Et hunc Commentarium *Joachimi* Abb. jam recenſui *Vol.* I. P. 1. *col.* 279. una cum Figuris, quae deſunt in praeſenti Exemplo. Initium, ut ibi: *Si ad hoc rotarum myſterialium centrum* &c. Textus non minus mendis ſcatet, quam, quae mihi objacet, Editio *Veneta* 1517. 4. licet Brevi Pontificio et Privilegio Ducali munita. At fortaſſe nullibi magis innoxia ſunt menda, quam in ejusmodi Vaticinatoribus, quorum etiam Textum emendatiſſimum non intelligas.

CCXXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 34 Folior. 453. f. currente calamo perſcriptus, rubricis enotatus, et teſte anteriore Theca Collegio ducali *Vien.* ſuprema voluntate reli-